



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 228. Vtrum anima intellectiua conuenientèr vniatur tali corpori,
mediantibus dispositionibus accidentalibus, vel medio aliquo corpore, & sit
tota in qualibet parte corporis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

stiva, continet in sua perfectione vegetati-
uam, in homine datur vnica anima, quæ cum
sit vegetatiua sensitua, & rationalis, continet
vegetatiuam, & sensitiuam. Aristotelem se-
quuntur omnes penè Scholastici. Videri pos-
sunt quæ de hoc puncto dixi in Philosophia,
quæst. 6. de anima, vbi etiam solui argumen-
ta contraria.

7. Articulo quarto quærit, vtrum in ho-
mine sit alia forma substantialis totalis, aut
partialis præter animam intellectuam.

Respondet, quod si vt docuit Plato, ani-
ma intellectuua vniretur corpori, nõ vt forma,
sed vt motor, in homine daretur alia forma,
substantialis, per quam corpus mobile consti-
tueretur in suo esse substantiali: sed iuxta no-
stram sententiam, qua quæst. 225. diximus
animam intellectuam vniri corpori vt for-
mam, in homine, & in quolibet corpore ani-
mato, non datur alia forma substantialis tota-
lis, aut partialis distincta ab anima.

8. Probatur: forma enim substantialis
per hoc differt ab accidentali, quod substan-
tialis dat materiæ esse primum, per se, ac non
accidens alteri esse, vt sæpè dictum est: sed eo
ipso, quod in materia daretur forma corpo-
reitatis, vel formæ partiales carnis, ossis &c.
anima non daret materiæ primum esse, sed
daret esse secundum, supponens, & accidens
alteri esse priori; ergo eo ipso anima non esset
forma substantialis, sed vniretur corpori acci-
dentaliter, & vt motor, vt docuit Plato. Si-
cut igitur figurabile figuratur vnica figura,
sic materia formatur vnica forma substantiali.
Promouendo verò eandem paritatem formæ
substantialis cum figura desumptam ex Ari-
stotele 2. de anima text. 26. sicut cum aliquid
constituitur figuratum simul, & rotundum,
non per aliam figuram constituitur figuratum,
per aliam rotundum, sed per vnā rotundi-
tatem constituitur simul figuratum, & rotun-
dum, sic cum materia constituitur simul cor-
pus, & viuens, non per aliam formam,
constituitur corpus, per aliam viuens
sed per eandem animam constituitur simul
corpus, & viuens. Sicut figuræ sunt ita ordi-
natæ, vt consequens contineat virtute præ-
cedentem, e. g. quadrilatera trilateram, ita
formæ substantiales sunt ita ordinatæ, vt con-
sequens contineat virtute præcedentem.
Quemadmodum igitur inter figuras rectili-
neas prima, & imperfectissima est trilatera,
secunda, & perfectior quadrilatera continens
virtute trilateram, tertia est quinquelatera &c.
sic inter formas substantiales primus, & infim-
us gradus est formarum elementarium: se-
cundus mistorum inanimatorum, quæ conti-
nent virtute elementares: in tertio gradu sunt
animæ purè vegetatiuæ plantarum continen-
tes virtute mista inanimata, & elementa;
quartum constituunt animæ sensitiuæ Zoo-
phytorum; quintum constituunt animæ se-
cundum locum motiuæ brutorum perfectio-
rum; sextum demum, ac supremum gradum

inter formas obtinet anima rationalis conti-
nens in virtute alios gradus inferiores. Vide-
tur autem tota hæc doctrina de vnitae formæ
substantialis in materia desumpta ex Aristote-
le, tum quia docet citato textu 26. 2. de ani-
ma, quod sicut in figura quadrilatera contine-
tur virtute trilatera, sic in anima superiore,
continetur virtualiter inferior: tum quia 2. de
gen. animalium, cap. 1. post medium dicit;
*non est facies, neque caro, nisi animam habeat, sed
corrupta æquiuoce dicitur perinde quasi lapidea, vel
lignea facta sit*: ergo putat non remanere for-
mas partiales carnis, aut faciei, alioquin caro
viua, & mortua non diceretur æquiuocè, si
constitueretur per eandem formam partia-
lem: tum quia 2. de gener. textu 84. & 2. de
partibus animal. c. 1. circa initium docet, quod
elementa manent in mistis non acta, sed vir-
tute: ergo semper persistit in sua doctrina,
quod formæ inferiores, quales sunt formæ
elementares, continentur virtualiter in formis
mistorum superioribus, & se habent sicut
figuræ; ergo &c. Sed de hoc puncto fusius
egi quæst. 7. de anima, vbi etiam retuli alio-
rum sententias, & argumenta solui.

QVÆSTIO CXCXVII.

*Vtrum anima intellectuua conuenienter vniat-
tur tali corpori, mediantibus dispositio-
nibus accidentalibus, vel mediante
aliquo corpore, & sit tota
in qualibet parte
corporis?*

S. Th. qu. 76. art. 5. 6. 7. 8.

1. Articulo quinto quærit, vtrum anima
intellectiua conuenienter vniatur tali
corpori, hoc est humano?

Respondet affirmatiue. Vt probet, sup-
ponit primò, quod quia materia est propter
formam, non autem forma propter materiam,
& quia ex fine debet inferri, qualia debeant
esse quæ sunt ad finem, non è conuerso, ideo
ex anima intellectuua, quæ est forma corporis,
debet inferri, quale debeat esse corpus, vt sit
proportionatum animæ intellectuui.

2. Supponit secundo animam intellectu-
uam secundum ordinem naturæ tenere infim-
um gradum inter substantias intellectuas.
Ideo non habet species ingentis, nec habet
sibi inditam notitiam veritatis, sed oportet,
vt veritatem colligat ex rebus sensibilibus per
viam sensus, vt docet Dionysius cap. 7. de di-
uinis nominibus, ac proinde non solum debet
habere virtutem intelligendi, sed etiam vir-
tutem sentiendi: sed natura non deficit in ne-
cessariis; ergo natura debuit dare animæ intel-
lectiuæ organum, seu instrumentum idoneum
ad sentiendum; sed actio sentiendi non fit sine
orga-

organo, & instrumento corporeo, puta actio videndi non fit sine oculo: ergo natura debuit dare animæ intellectiua corpus, quod esset idoneum instrumentum ad sentiendum.

3. Supponit tertio totam virtutem sensitivam, tum interiorem, tum exteriorem fundari in tactu, ideoque nullam partem corporis posse habere vllum alium sensum, nisi habeat tactum. Hinc sequitur corpus sensitivum debere esse tactivum, & corpus perfectissime sensitivum debere esse perfectissime tactivum; sed anima intellectiva debet esse perfectissime sensitiva, cum debeat ex sensibilibus per viam sensus acquirere notitiam veritatis: ergo anima intellectiva debet habere perfectissimum tactum, & corpus perfectissime tactivum.

4. Supponit quarto corpus, ut habeat perfectissimum tactum, & perfectissimum sensum, prout requiritur ad hoc, ut sit idoneum instrumentum animæ rationalis, debere esse mediocriter temperatum, & mediocriter participans primas qualitates, calorem nimirum, frigus, humiditatem, & siccitatem. Ratio est, quia virtus tactiva est virtus discernendi prima sensibilia, nimirum calida, & frigida, humida, & sicca: sed ut hæc discernat, corpus debet esse mediocriter temperatum ex his: ergo Corpus ad hoc, ut sit perfectissime tactivum, debet esse maxime mediocriter temperatum ex primis qualitatibus.

5. Hinc concludit, quale debeat esse corpus, ad hoc, ut sit idoneum instrumentum animæ intellectiua. Debet enim esse perfectissime tactivum, adeoque maxime mediocriter temperatum ex primis qualitatibus. Quia verò corpus humanum inter omnia mista, & inter omnia corpora animalium est maxime mediocriter temperatum ex primis qualitatibus, est instrumentum maxime idoneum animæ intellectiua, ac proinde anima intellectiva convenienter vnitur corpori humano. Quia rursus temperamentum corporis humani habet quamdam latitudinem, & suscipit magis & minus: nam quædam corpora humana excedunt aliquantulum in calore, quædam in frigore, ideo quædam sunt magis, quædam minus idonea instrumenta intellectus, ac quidam homines sunt naturaliter magis, quidam minus intellectui, ingeniosi, ac prudentes. *Duri enim carne, inepti mente, molles autem carne, bene apti, ut ait Aristoteles 2. de anima tex. 94.* Ratio est, quia durities carnis oritur ex temperamento terreo, & sicco, mollities autem ex mediocri. Corpus inter humana habens temperamentum exquisitè mediocre est aptissimum instrumentum intellectus, quale rationabile est fuisse corpus Christi Domini. Sed hæc ex doctrina Aristotelis fusius explicavi supra qu. 129. n. 7. & 8. Quia vero ex mediocri temperamento corporis humani sequitur, quod sit mortale, & corruptibile, ideo anima intellectiva debet corpus naturaliter mortale, & corruptibile ex necessitate materiæ, ut docet S. Thomas hoc art. 5. ad 1.

6. Articulo sexto quærit, utrum anima intellectiva vniretur corpori, mediantibus dispositionibus accidentalibus?

Respondet, quod si ut docuit Plato, anima intellectiva vniretur corpori solum ut motor, non repugnaret, quod vniretur medijs aliquibus dispositionibus accidentalibus, puta media aliqua dispositione, qualitate, ac potentia, qua corpus constitueretur passive mobile, anima constitueretur apta ad corpus activè movendum. At iuxta nostram sententiam, qua diximus animam vniri corpori ut formam substantialem dantem illi suum esse, specificum, impossibile est, ut detur aliqua dispositio accidentaliter media inter animam, & corpus, & vniuersim inter materiam, & formam substantialem.

7. Probat ex differentia formæ substantialis ab accidentali. Nam sicut forma substantialis est primus actus, sic forma accidentalis est actus non primus, sed secundus: ergo sicut est contra rationem formæ substantialis, quod recipiatur in actu, vel in ente iam actuato: eo enim ipso non esset primus actus, cum supponeret alium actum; sic est contra rationem formæ accidentalis, quod recipiatur in pura potentia, vel in ente nondum actuato: eo enim ipso non esset secundus actus, cum non supponeret actum priorem; sed materia prima est pura potentia; ergo est contra rationem formæ accidentalis, quod recipiatur in sola materia, sed recipi debet in toto, hoc est in materia iam actuata per formam substantialem. Rursus sicut forma substantialis dat subiecto esse simpliciter, sic forma accidentalis dat subiecto esse solum secundum quid: ergo sicut est contra rationem formæ substantialis, ut adueniat subiecto iam habenti esse simpliciter, hoc est esse primum; eo enim ipso non daret illi esse simpliciter, sed esse solum secundum quid; sic est contra rationem formæ accidentalis, quod adueniat subiecto nondum habenti esse simpliciter; eo enim ipso non daret illi esse secundum quid, hoc est esse secundum, sed daret esse simpliciter, hoc est esse primum. Denique sicut est de ratione formæ substantialis, ut constituat primum ens, & primum subiectum actuale, quod sit fundamentum substantiæ omnibus alijs superædificatis, ideoque non potest aduenire enti, ac subiecto iam actuato; sic est de ratione accidentis, quod accidat, fundetur, ac superædificetur supra primum ens, & primum subiectum actuale, ideoque non potest recipi in sola materia prima, quæ est subiectum pure potentiale. Concluditur impossibile esse, ut in materia dentur aliquæ dispositiones accidentales præcedentes naturæ formam substantialem, ac animam intellectivam, quæ proinde non potest vniri corpori medijs dispositionibus accidentalibus præcedentibus naturæ vnionem animæ cum corpore. Videri possunt, quæ de hoc puncto dixi in lib. de Generatione, quæst. 13. & 17. ostendens accidentia reci-

pi in toto, ac dari resolutionem vsque ad materiam primam.

8. Articulo septimo quærit, vtrum anima vnietur corpori animalis, mediante aliquo corpore?

Respondet, quod si vt docuit Plato, anima vniretur corpori vt motor, possibile, ac conueniens esset, vt vniretur corpori, medio aliquo corpore propinquiori, & immediate tangente, eo pacto, quo quis dum mouet lapidem baculo, vnitur lapidi, medio baculo tangente lapidem, ac equi trahentes currum, vniantur currui funibus, vel alio instar funium, quo alligantur currui. At iuxta nostram sententiam, qua diximus omnes animas vniri corporibus animalium vt formas substantiales, impossibile est, vt illis vniantur medio aliquo corpore. Ratio est, quia materia, & forma comparantur sicut potentia, & actus penetratus cum potentia, ac dans potentia esse maximè intimum; sed impossibile est, vt actus penetratus cum potentia, & dans illi suum esse maximè intimum, vniantur potentia medio aliquo corpore, quod se habeat ad modum glutinis; ergo. Confirmatur ex Aristotele, qu. 2. de Anima quæst. 7. dicit: *non oportet querere, si vnum est anima, & corpus, sicut neque ceram, & figuram: sed figura penetratur cum cera, ideoque vnitur ceræ, nullo corpore mediante: ergo anima vnitur corpori, nullo alio corpore mediante.*

9. Infert Sanctus Thomas falsas esse opiniones eorum, qui dixerunt aliqua corpora esse media inter animam intellectiuam, & corpus humanum. Et quidem aliqui Platonici docuerunt animam, intellectuam habere corpus incorruptibile, à quo nunquam separatur, eoque medio, vniri corpori humano corruptibili. Alij dixerunt, quod vnitur corpori, mediante spiritu corporeo. Quidam asseruerunt animam vniri corpori, mediante luce, quam dicunt esse corpus non elementare, sed coeleste, ac proinde habens naturam quintæ substantiæ. Addunt animam vegetatiuam vniri corpori, mediante luce cœli syderis, animam sensitiuam vniri, mediante luce cœli chrysalini, animam intellectualem vniri, mediante luce cœli empyrei, quod vt Sanctus Doctor loquitur, *est derisibile, tum quia lux non est corpus; tum quia quinta essentia non venit materialiter in compositionem corporis missi, sed virtualiter tantum; tum etiam quia anima immediate corpori vnitur, vt forma materiæ.* Patet ex doctrina horum quorum articulorum 6. & 7. Sanctum Thomam negare solum animam vniri corpori, mediante alio corpore, ad modum glutinis, vel mediante aliqua dispositione accidentali, non autem negare, quod vniantur per vnionem substantialem modalem distinctam. Videri possunt, quæ in physica quæst. 10. dixi de vnione, vbi etiam explicauimus, quænam formæ substantiales vniantur materiæ per ipsum suum esse, quæ autem vniantur per vnionem distinctam ab esse formæ.

10. Articulo octauo quærit, vtrum anima sit tota in qualibet parte corporis?

Respondet, quod motor potest esse in vna tantum parte corporis moti, & ex ea mouere etiam cæteras partes, eo pacto, quo auriga est in vna tantum parte currus, ex eaque mouet totum currum, ac singulas partes currus: ergo si vt Platonici docuerunt, anima vniretur corpori solum vt motor, posset esse in vna tantum parte corporis, ex eaque mouere alias. At quandoquidem ex dictis quæstion. 226. anima est in corpore vt forma, non accidentalis, sed substantialis, debet esse in qualibet parte corporis, cum quamlibet debeat perficere, illique dare suum esse substantiale. Confirmatur: nam anima recedente per mortem animalis, sicut animal non remanet nisi æquiuocè (homo enim mortuus solum æquiuocè dicitur homo, velut homo pictus, vel lapideus, puta statua hominis) sic partes animalis mortui, puta oculus, manus, caro, non remanent nisi æquiuocè, vt docet Aristoteles 2. de Anima tex. 9. ergo anima non solum est in toto animali, sed in singulis eius partibus, ac illas constituit viuentes, & animatas, illisque dat suum esse specificum, puta oculo dat esse oculi, manui dat esse manus. Et quia res quandiu retinet formam specificam, retinet eius propriam operationem, amissa forma specifica, amittit propriam operationem, ideo animal, eiusque partes, anima recedente, non possunt amplius exercere proprias operationes, eo pacto, quo oculus mortuus non potest videre, caro mortua non potest tangere. Hinc concluditur animam esse in toto corpore, & in qualibet eius parte. Dubitatur, vtrum cum dicitur animam esse in singulis partibus viuentis, easque informare, intelligendum id sit de partibus tum solidis, tum fluidis, qualis est sanguis, alique humores, an solum de solidis. Sed de hoc puncto egi ex professo quæst. 9. de anima, ideoque hic nihil addendum.

11. Superest quæstio, vtrum anima non solum sit in qualibet parte corporis, sed tota sit in qualibet parte corporis, an potius vna pars animæ sit in vna parte corporis, alia in alia.

Respondet Sanctus Thomas, quod totum dicitur, quod diuiditur in partes, & ideo ex triplici modo diuisionis considerari potest triplex totum. Prima diuisio est in partes quantitativas, & hæc diuisio per se conuenit materiæ quantæ, formis autem potest conuenire solum per accidens, siquidem dum per se diuiditur corpus quantum, per accidens diuiditur albedo, quæ est forma accidentalis talis corporis. Addit, quod diuisibilitas per accidens in partes quantitativas conuenit illis tantum formis, quæ sunt indifferentes, vt sint in toto subiecto, vel in qualibet eius parte, eo pacto, quo albedo est indifferens ad hoc, vt sit in tota niue, vel in singulis partibus niuis; sed anima præsertim animalium perfectiorum, non

non est indifferens ad hoc, vt sit in toto corpore animalis, vel in singulis eius partibus; nam non potest esse in solo oculo, in solo pede, &c. ergo anima animalium præsertim perfectorum non est per se, neque per accidens diuisibilis in partes quantitativas, sed est quantitativè indiuisibilis. Sed de indiuisibilitate animæ rationalis, & animæ brutorum, perfectorum ex professo egi quæst. 8. de anima, vbi etiam dixi animas inferiorum esse diuisibiles in partes non actuales, sed solum potentiales.

12. Secunda diuisio, ac diuisibilitas est in partes metaphysicas essentia, ac definitionis, puta in genus, & differentiam, vel in partes physicas essentia, puta in materiam, & formam. In hoc sensu anima non est totum physicum, cum non componatur ex materia, & forma, vt dictum est quæst. 224. sed est totum metaphysicum, & est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis totalitate essentia, & perfectionis essentialis.

13. Tertia diuisio, & diuisibilitas est in partes virtutis. In hoc sensu anima rationalis est totum continens plures virtutes, & potentias videndi, audiendi, odorandi, &c. ac tota anima secundum omnes suas virtutes est in toto corpore, secundum autem vnā virtutem organicam est in vna parte corporis, secundum aliam in alia. Nam virtus, seu potentia videndi est in oculo, virtus, & potentia audiendi est in aure. Virtutes autem, & potentia inorganica nimirum intellectus, & voluntas recipiuntur immediatè in sola anima, ac in nulla corporis parte.

QVAESTIO CCXXIX.

Vtrum potentia tum organica, tum inorganica distinguantur ab anima, & conuenienter explicentur quæ ad illas pertinent?

S. Tho. quæst. 77. artic. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

1. **P**ostquam Sanctus Thomas quæst. 75. & 76. egi de ijs, quæ spectant ad essentiam, incorruptibilitatem, & differentiam animæ humanæ ab Angelis, nec non de ijs, quæ spectant ad vñionem animæ cum corpore, descendit ad agendum de potentijs animæ, ac quæst. 77. agit de potentijs animæ in genere, quæst. 78., & sequentibus vsque ad 84. agit in particulari de singulis potentijs.

2. Articulo igitur primo quæst. 78. quærit, vtrum essentia animæ sit eius potentia, vel potius potentia distinguantur ab anima essentia?

Respondet impossibile esse, quod essentia animæ sit eius potentia. Probat primò: nam quandoquidem potentia, & actus diui-

dunt ens, & quodlibet genus entis, actus, & potentia debent esse eiusdem generis, ita vt actui cuiuslibet generis correspondeat potentia eiusdem generis, & è conuerso, puta actui substantiali correspondeat potentia substantialis, actui accidentali correspondeat potentia accidentalis, actui de genere qualitatis correspondeat potentia de genere qualitatis; sed actus vitales animæ, puta actus intelligendi, volendi, sentiendi, &c. non sunt de genere substantia, sed de genere accidentis; ergo debent illis correspondere propria potentia, quæ non sit de genere substantia, sed de genere accidentis, ac proinde quæ distinguatur ab anima substantia. Quia verò proprium Dei est, vt operatio vitalis intelligendi, & volendi sit ipsa Dei essentia, & substantia, proprium Dei est, vt potentia Dei sit ipsa diuina essentia, & substantia. Proportionaliter quia repugnat, vt operatio vitalis creaturæ sit ipsa essentia, & substantia creaturæ, repugnat, vt potentia vitalis creaturæ sit ipsa essentia, & substantia creaturæ.

3. Probat secundo: nam actus in quantum actus præsertim vltimus in suo genere secundum se non est in potentia ad alium actum, præsertim inferioris generis; sed anima est actus substantialis, & quidem vltimus in genere substantia, & est vltimus terminus generationis: ergo secundum se non est in potentia ad habendos, vel non habendos actus vitales; sed anima est in potentia ad habendos, vel non habendos suos actus vitales, siquidem non semper illos habet: ergo constituitur in potentia per potentiam accidentalem distinctam, ac licet secundum se sit actus substantialis vltimus, tamen in quantum substat potentia accidentali, dicitur actus primus ordinatus ad vltiorem actum accidentalem. Vtraque ratio desumitur ex principijs valde abstractis, ac metaphysicis, ideoque ego quæst. 11. de anima conatus fui probare conclusionem à posteriori, & à priori ex ratione fundata in inductione.

4. Articulo secundo quærit, vtrum sint plures potentia animæ.

Respondet affirmatiuè. Probat primò: nam ex Aristotele 2. de coelo tex. 66. quatuor sunt gradus, seu ordines entium. Primus, & infimus est eorum, quæ non possunt consequi perfectum bonum, sed solum imperfectum. Secundus est eorum, quæ possunt consequi bonum perfectum, sed ad illud consequendum indigent multis operationibus, & motibus. Tertius est eorum, quæ ad consequendum perfectum bonum indigent paucis operationibus, & motibus. Quartus, & supremus est eorum, quæ ad perfectum bonum consequendum nullo indigent motu. Explicat exemplo sanitatis. Nam in infimo gradu sunt, qui non possunt consequi perfectam sanitatem, sed solum imperfectam, ad quam obtinendam paucis indigent remedijs. In secundo gradu sunt, qui ita possunt consequi sanitatem perfectam,

vt